



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Nobili Viro Acerbo Priori & aliis Rectoribus Thusciae & Ducatus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

nus manifestos usurarios, eos maxime quos usuris publice renuntiassent constiterit, cum aliquis eos convenerit de usuris, nullius permittatis appellationis subterfugio se tueri. Datum Laterani V. Kal. Novembris.

## SIPONTINO ARCHIEPISCOPO.

Epist. 400.  
De collegiata  
Ecclesia in ca-  
nobia mona-  
chorum con-  
vertenda.

**C**um ad ea exequenda quae religionem sapiunt & opus in se continent pieratis, sollicitudinem tuam excitamus, tanto adimplere debes sollicitius quod mandamus, quanto ea exequi diligentius ex debito teneris officij pastoralis. Significavit siquidem nobis dilectus filius magister Nicolaus Ecclesiae Troianae Decanus, quod cum Ecclesiam sancti Nicolai de Regulis possideat, & eam sufficientem & idoneam cognoscat ad canonicam regularem, plantare ibidem religionem desiderat, & Canonicos instituire in eadem, qui secundum regulam beati Augustini Domino debeant jugiter deservire. Licet autem hoc a nobis sibi postularer cum instantia indulgeri, nos tamen tuae volentes fraternitati deferre, in cujus diocesi esse proponitur Ecclesia memorata, negotium ipsum tuae duximus experientiae committendum. Ideoque fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus si praefatam Ecclesiam ad hoc idoneam & sufficientem cognoveris, & fratres Clerici & laici, qui nunc in ea deserviunt, in hoc sponte voluerint consentire, nec aliud obstitit per quod negotium ipsum debeat rationabiliter impediri, tu praefato magistro N. ut eandem Ecclesiam canonicam instituat regularem, liberam tribuas facultatem, ut & ejus pio desiderio satisfiat, & tu de plantanda religione in diocesi tua possis merito commendari. Datum Laterani VII. Idus Novembris.

NOBILI VIRO ACERBO  
Priori & aliis Rectoribus Thusciae  
& Ducatus.

Epist. 401.  
Quod persisterit  
in devotione  
Ecclesiae. Et  
promittitur eis  
favor & pro-  
tectio ipsius.

**S**icut universitatis conditor Deus duo magna luminaria in firmamento caeli constituit, luminare majus, ut praesentet diei, & luminare minus, ut nocti praesentet, sic ad firmamentum universalis Ecclesiae, quae caeli nomine nuncupatur, duas magnas instituit dignitates, majorem, quae quasi diebus animabus praesentet, & minorem, quae quasi noctibus praesentet corporibus: quae sunt pontificalis

auctoritas, & regalis potestas. Porro sicut luna lumen suum a sole sortitur, quare vera minor est illo quantitate simul & qualitate, situ pariter & effectu, sic regalis potestas ab auctoritate pontificali suae sortitur dignitatis splendorem, cujus conspectui quanto magis inharet, tanto minori lumine decoratur, & quod plus ab ejus elongatur aspectu, eo plus proficit in splendore. Utraque verò potestas sive primatus sedem in Italia meruit obtinere, quae dispositione divina super universas provincias obtinuit principatum. Et ideo licet ad universas provincias nostrae provisionis aciem extendere debeamus, specialiter tamen Italiae paterna nos convenit sollicitudine providere, in qua Christianae religionis fundamentum existit, & per apostolicae sedis primatum sacerdotij simul & regni praeminet principatus. Hujus autem provisionis officium laudabiliter exercemus, si per nostrae sollicitudinis studium procuramus ne filij fiant servi, neque minores a majoribus opprimantur; ut servata moderaminis aequitate sic isti serviant, quod illi non serviant; ut nec isti subesse contemnant, nec illi contendat praesent. Volentes ergo vos tanquam speciales filios apostolicae protectionis brachiis amplexari, firmum gerimus in deliberatione nostra propositum, ad divini nominis gloriam, & apostolicae sedis honorem, quantum cum nostra possumus honestate, vobis adversus oppressionis incursum & gravaminis insolentiam nostrum patrocinium exhibere; quatenus per apostolicae protectionis auxilium in debito statu perseverare possitis, & inita jam concordia semper inter vos de bono in melius perseveret. Sperantes & pro certo tenentes quod vos nobis & Ecclesiae Romanae gratum semper devotionis & fidei debeatis obsequium impertiri, ut dum vos a nobis protectionis patrocinium susceperitis, & nos a vobis devotionis obsequium receperimus, utrinque grata debeat utilitas procurari. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur in Domino, per apostolica scripta mandantes, quatenus certam & firmam de nobis fiduciam obtinentes, qui, sicut apostolicae convenit gravitati, plus facere pro vobis quam promittere vobis intendimus, ea semper agere studeatis quae ad honorem & profectum Ecclesiae Rom. proveniant, ut


meritò debeatis ipsius favoris dextera communiri. Datum Laterani III. Kal. Novembris.

EPISCOPO ET CAPITULO  
Aversan.

Epist. 402.  
Vt Neapolitano Archiepiscopo obtemperant.

**C**um simus singulis in sua justitia debitores, fratrum & coepiscoporum nostrorum gravamina nec possumus nec debemus æquanimiter sustinere, aut pati quòd aliquis à sui superioris obedientia præter auctoritatem judicariam qualibet occasione recedat. Hoc siquidem attendentes, cum Ecclesia vestra hæctenus ecclesiæ Neapolitanæ responderit, & prædecessores tui, frater Episcopo, à prædecessoribus venerabilis fratris nostri Neapolitani Archiepiscopi consecrationis & confirmationis consueverint beneficium obtinere, ita quòd bonæ memoriæ L. prædecessor tuus (cui felicis recordationis C. Papa prædecessor noster ex collata sibi plenitudine potestatis sine præjudicio Ecclesiæ Neapolitanæ consecrationis indulgit) obedientiam & reverentiam, sicut Metropolitanano suo, curaverit eidem Archiepiscopo exhibere, ne dicta Ecclesia Neapolitanæ suæ possessionis commodo, prætermisso juris ordine, privaretur, te, frater Episcopo, ad obediendum ei nostra mandavimus auctoritate compelli, adjicientes in literis nostris, quòd si vos crederetis aliquid juris habere, illud postmodum audiremus. Cum igitur super obedientia dicto Archiepiscopo exhibenda mandatum sit apostolicum adimpletum, ac nos per vestras duxeritis literas exorandos ut certum vobis præfigeremus terminum, quo adversus eundem Archiepiscopum vestram proponeretis & persequeremini actionem, discretionis vestræ per apost. scripta mandamus quatenus in octavis Resurrectionis Dominicæ proximè venturis nostro vos conspectui præsentetis, justitiam recepturi. Nos enim eidem Archiepiscopo dedimus in mandatis ut ad eundem terminum per se vel sufficientem procuratorem ad præsentiam nostram accedat, vobis plenarie responsurus. Datum Laterani VI. Idus Novembris.

Scriptum est dicto Archiepiscopo ut tempore constituto accedat.



ARCHIPRESBYTERO  
& Clericis Burgen. Ecclesiæ.

**C**um civitas Parmen. & cives ejus excommunicationi subjecti fuissent propter violentam invasionem & deprivationem dilecti filij P. sanctæ Mariæ in via lata Diaconi Cardinalis, & Ecclesia vestra à jurisdictione venerabilis fratris nostri Parmen. Episcopi propter hoc fuisset exempta, donec satisfaceret competenter, ipsi Parmenses memorato Cardinali sese obligarunt super restituenda medietate pecuniæ quæ ipsi Cardinali fuit ablata: cujus jam parte soluta, se partem reliquam soluturos præstita cautione juratoria promiserunt; & idem Cardinalis excommunicationis & interdicti sententias relaxavit, penam remittens quæ super exemptione Ecclesiæ vestræ Parmen. Ecclesiæ fuerat irrogata. Nos igitur quod à prædicto Cardinali super hoc factum est ratum habentes, vobis per præsentia scripta mandamus atque præcipimus quatenus præfato Parmen. Episcopo de cetero consuetam & debitam obedientiam impendatis. Datum Laterani II. Idus Novembris.

EPISCOPO ROFFENSI  
Archidiacono Bathoniensi, & Magistro  
Vu. de sancta fide. Canonico Vvellen.

**E**x continentia literarum dilectorum filiorum Abbatis sanctæ Crucis de Waltham & magistri \* Simonis de Svvelle nobis innotuit quòd cum olim quæstio quæ vertebatur inter dilectos filios M. Phil. de Ludelevve ex una parte, Robertum & Vincentium Clericos ex altera, super Ecclesia de Streton, ipsis & quondam Abbati de Straford. à bonæ memoriæ C. Papa prædecessore nostro commissa fuisset, eodem Abbate pariter & prædicto Vincentio de hac luce subtractis, prænominati duo judices juxta tenorem rescripti apostolici procedentes, attestationes & allegationes utriusque partis diligentius audierunt; & tandem cum renuntiatum eis ab utraque parte fuisset, & secundum allegata diffinitiva esset sententia promulganda, contra magistrum P. adversa pars literas apostolicas arguit falsitatis, & eas esse falsas sub periculo causæ se firmiter asseruit probaturam, sibi legem imponens ut à causa caderet, nisi probaret evidentius falsitatem, & ne ulterius judices in cau-

Epist. 403.  
Vt Parmen. Episcopo rufus obediatur, tanquam abfoluto & reconciliatio.  
Vide supra q. 340. & 391.

Epist. 404.  
Qui allegat literas falsas esse, hoc probare tenetur.  
Cap. Ex conscientia. De crimine falsi.  
\* In vet. cod. Ms. Illustrius Viri Ioa. Bapt. Colberi videri. Iohannes de Svvelle.